



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio LXXXVII. De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

autôres tenentur in tali occasione hujusmodi moribundum absolventes.

peccato Auctores contrariæ sententiæ conformare se nostræ, & abolvere moribundum in his circumstantiis: cum enim hæc opinio sit probabilis, & consequenter Confessarius eam sequi possit, non potest citra peccatum pœnitentem

tanto bono privare, & æternæ salutis amittenda periculo exponere. Unde addit Vasquez: Si quis obstinatus in suâ opinione hoc Charitatis officium moribundo denegaret, fore eum reum animarum.

DISPUTATIO OCTOGESIMA SEPTIMA.

De dolore ad hoc Sacramentum requisito.

IN præcedentibus generatim diximus Contritionem esse partem hujus Sacramenti; in hac ergo Disputatione quanam sit Contritio, quæ Sacramenti constitutionem ingreditur, & quomodo materiam illius intrinsecam constituat, examinandum

SECTIO PRIMA.

Quis dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarius.

I.
Dua hæc in re opposita sunt sententia.



DUÆ in primis hic sunt extremæ opiniones: altera nullum verum dolorem formalem exigit, sed sufficere ait virtuales, altera contritionem perfectam requirit, & negat sufficere attritionem.

II.
Rejicitur opinio negans dolorem formalem requiri ad hoc Sacramentum.

Sed prima opinio, quod scilicet non requiratur dolor formalis, refutatur tum ex Sancto Thoma quæst. octogesima-quartâ, art. septimo, ad primum, tum præcisè quia Concilia dolorem exigunt ut partem hujus Sacramenti: tum denique ratione, primò hoc namque Sacramentum institutum est per modum judicii voluntarii, ut supra diximus, judicium autem hujusmodi essentialiter constat accusatione spontaneâ, accusatio autem hæc non est quæcunque peccatorum narratio, sed dolorosa, alioqui erit potiùs historia, quàm confessio. Secundò, quia hoc Sacramentum est Sacramentum reconciliationis, cum ergo homo per voluntatem propriam ultro à Deo prior per peccatum recesserit, debet ut ei reconcilietur, prior ad eum per ejusdem peccati detestationem iterum aliquo modo accedere, tollendo obicem amicitiae Divinæ, nempe peccatum in ratione voluntarii, quod fit per retractationem illius voluntariam, seu detestationem.

III.
Ostenditur contritionem non esse ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ necessariam.

Secunda etiam opinio de contritione perfectâ, præter dicta de Sacramenti in genere, & hic, rejicitur ulterius ex eo quod supra posuimus ex Cœlestino & Julio I. Pontificibus, qui definiunt Sacerdotem negantem absolutionem pœnitenti in extremis posito, esse reum animarum, per-

mittere eum jacere sub pondere peccatorum, &c. quod tamen dici non posset, si semper prærequireretur contritio ad absolutionem; hæc enim semper tolleret peccata, & sic nunquam defectu absolutionis periret anima. Idem etiam probatur ex Patribus & Conciliis quæ passim dicunt sententiam Sacerdotis tollere peccata, liberare ab inferno, ex attrito facere contritum, &c. quod etiam apertè significant verba Christi: *Quorum remisistis peccata, &c.* Præterea pœnitentia est Sacramentum mortuorum; ergo per illam debent homines vivificari, & gratiam, per se loquendo, primò recipere.

Et per hæc etiam rejiciuntur Victoria, Sotus, Navarrus, & alii, qui dicunt necessariam esse contritionem, saltem existimatam. Sed quæ jam dicta sunt ostendunt peccatorem scientem se mortuum esse, posse accedere ad sententiam Sacerdotis pro absolutione, ut inde vitam recipiat. Ad quæ ulterius addi potest quod docet Concil. Florentinum, nempe effectum hujus Sacramenti esse mundationem animæ à peccatis; ergo potest quis sciens se esse in peccatis accedere ut mundetur cum sit medium ad hunc effectum institutum.

Recentiores aliqui Theologi, ita prædictam opinionem de dolore perfectò ad valorem Sacramenti requisito defendunt, ut contritionem & dilectionem Dei super omnia necessariam semper ad Sacramentum asserant, debilem illam quidem, & exiguæ intensionis, quam aiunt extra Sacramentum non sufficere ad gratiam, sic tamen cum Sacramento. Sed contra hoc est primò: Scripturæ enim ubi dicunt Charitatem, seu dilectionem Dei tollere peccata, ut *Ego diligentes me diligo, Caritas operis multitudinæ peccatorum, &c.* non aliud ad hunc effectum requirunt, quàm ut procedat actus ex illo motivo bonitatis, seu dignitatis, & excellentiæ Divinæ, quod si adsit, parum refert actum

IV.
Ad valorem hujus Sacramenti non requiritur etiam contritio existimata.

V.
Recentiores aliqui requirunt hanc contritionem perfectam, sed exiguæ intensionis.

actum esse magis vel minus intensum; quidni enim in illâ eadem ratione dari possit major & minor intensio, quæ tamen omnes intensiones procedant circa idem omnino objectum, effectus autem gratiæ non promittitur dilectioni magis intensæ, sed simpliciter dilectioni.

VI.
Dilectio ad tollendum peccatum debet esse perfecta ex motivo, non gradualiter.

Dices: Debet esse dilectio Dei super omnia, & ex toto corde; ergo amore perfecto & vehementi fiat necesse est. Distinguo consequens: perfectio ex modo tendendi concedo, gradualiter nego: sicut enim quisvis gradus gratiæ, etiam minimæ intensio sufficit ad peccatum tollendum, quia est gratia, ita cum dilectio, etiam minimæ intensio sit vera dilectio, sufficit tanquam dispositio ad gratiam. Quod verò dicitur debere esse amore super omnia, intelligendum est, appetitivè, id est, affectu efficaci quo Deum rebus omnibus anteponat, ita ut male re ullâ privari, quàm ejus gratiam deserere, esto intensiore gradualiter affectu in res alias ferri queat, de quo plura postea.

VII.
Contritionem perfectam ad valorem Sacramenti non requiritur ostenditur ex Concilio Tridentino.

Secundò impugnat hęc sententia, nam Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, præcipue capite quarto expressè definit contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & ex turpitudinis peccati consideratione oritur, vel metu gehennæ, licet extra Sacramentum ad justificationem, per se pœnitentem non perducatur, in Sacramento tamen ad gratiam disponere; & tamen hic actus non est dilectio Dei, sed ex longè inferiore motivo conceptus, ut constat, ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur actus vel contritionis vel dilectionis Dei, sed alius sufficit substantialiter multo his inferior, qualis juxta Concilium loco citato fuit Pœnitentia Ninivitarum, dum timore concussit de prædicationem Jonæ terroribus plenam. Initio itaque capituli illius quarti loquitur Concilium de Contritione ut abstrahit à perfectâ, & imperfectâ, deinde circa medium capituli tractat de contritione perfectâ, tandem in fine capituli, quando assignat contritionem illam, quæ in Sacramento disponit ad gratiam, licet extra illud non sufficiat ad justificationem, aperte loquitur de imperfectâ, seu attritione, ut legenti constabit.

VIII.
Qua ratione attritio interdum dicitur fieri contritio.

Quæres secundò: Quo sensu verum sit attritionem fieri aliquando contritionem? Certum est non ita hoc contingere, ut idem actus entitativè fiat alter; hoc enim non magis contingere potest, quàm ut lignum fiat lapis, aut homo equus. Dici ergo hoc sensu potest attritio fieri contritio, quòd in Sacramento attritio, quæ prius erat informis, postea informetur Charitate & gratiâ, etsi tunc magis propriè diceretur homo ex attrito fieri contritus, habitualiter scilicet ob habitum Charitatis, quem unâ cum gratiâ recipit in Sacramento, esto non doleat de peccatis ex alio motivo quàm metu gehennæ, aut turpitudinis peccati, & sic actualiter, seu per actum contritionis non redditur contritus, sed habitualiter tantum.

IX.
Alius, & magis proprius modus declarandi quo pacto attritio fiat contritio.

Aliter dici potest attritio in Sacramento fieri contritio, nempe æqualiter in ordine ad effectum gratiæ; sicut enim contritio per se, & sine Sacramento disponit ad justificationem, & gratiam, ita attritio cum Sacramento, & hæc videtur maximè propria acceptio hujus dicti; præcedens enim, licet vera sint quæ in eâ afferuntur, non tamen ita propria videtur, cum secundum eam omnis actus doloris in iustis foret vera contritio, utpote quæ gratia informatur,

cum tamen attritio & contritio distinguantur ex modo tendendi & motivis juxta communem modum concipiendi & loquendi omnium.

Quæres tertio: Utrum ad hoc ut actus sit contritio, requiratur aliqua illius duratio? Caietanus, Scotus, & alii nonnulli volunt actum, etiam amoris Dei vel doloris ob Deum offensum, primo instanti quo est non fortiri rationem contritionis sufficientis ad infusionem gratiæ, sed moram aliquam requiri. Sed contra: ille actus idem omnino est in primo instanti & sequentibus, ergo si ullo instanti sequente est amor Dei vel contritio, erit etiam in primo: cum ergo diligentibus Deum, & se ad eum ex toto corde convertentibus, promittatur gratia, & hoc æquè perfectè fiat primo instanti ac sequentibus, cum hic actus, per quem fit, æquè perfectus sit & idem, consequenter primo instanti erit amor vel contritio, & gratiam conferet. Deinde, sicut in simili supra diximus de Sacramento Pœnitentiæ, si hic requiratur hujusmodi mora, posset is qui elicit actum contritionis seu amoris Dei damnari, si ante moram illam finitam moreretur, quod tamen dici non potest.

X.
Volunt alii qui actum primo instanti quo est, non fortiri rationem contritionis.

Quæres quarto: Utrum dolor ad hoc Sacramentum requisitus debeat esse universalis, seu de omnibus peccatis? Recentiores aliqui volunt dolorem hic ita esse universalem, ut ad omnia omnino peccata extendatur, confusè saltem & implicite: citatur Coniack disp. quartâ de Pœnitentiâ, dub. quinto, num. trigésimo nono, ipse tamen ibi hoc absolute non dicit; solum enim affirmat, ubi non adest explicitum propositum vitandi omnia peccata, debere dolorem esse universalem, saltem virtualiter, seu ex motivo universali: imo paulo ante eodem numero dixit sufficere ut hæc pœnitentiâ extendatur ad omnia peccata mortalia non remissa. Et certè, si sermo sit de dolore formali, videtur impossibile ut extendatur ad omnia peccata; nec enim potest quis dolore de peccato quod nunquam admisit.

XI.
Debeatne dolor ad hoc Sacramentum necessarius, esse universalis.

Existimo itaque probabilius cum Patro Suario disp. 20. sect. 4. num. vigésimo tertio, & vigésimo quarto, Coniack proximè citato, & aliis, non requiri necessariò ad hoc Sacramentum dolorem universalem, sed ad summum de peccatis commissis, aut quæ quis tunc constitetur. Ratio est, in tantum namque dolor in hoc Sacramento requiritur, in quantum necessarius est ad reddendam accusationem veram seu dolorosam, & non narrationem historicam, ad hoc autem sufficit ut tendat in omnia peccata, quæ menti occurrunt, & in confessione aperiuntur; sicut enim illa confessio est formaliter integra, quæ est de omnibus peccatis, quorum quis recordatur, ita & attritio.

XII.
Ad valorem hujus Sacramenti non requiritur dolor, nisi de peccatis commissis.

Confirmatur: Frequenter solent Confessarii excitare suos pœnitentes ad dolorem peccatorum ex motivo reincidentie, vel quòd Christiani sint, quòd in sacris constituti, &c. & tamen hic dolor non est universalis, vel formaliter, ut constat, quia formaliter solum fertur in peccata, quæ pœnitens tunc constitetur, vel etiam virtualiter; nec enim procedit ex motivo universali, cum omnia peccata non sint hominis Christiani, aut in sacris constituti, nec habeant malitiam reincidentie, & consequenter quantum ad hunc actum non fertur in illa peccata, quæ hanc specialem malitiam non habent. Demum ad reconciliationem, etiam perfectissimam sufficere videtur, ut quis doleat de offensâ commissâ, & universim proponat nunquam

XIII.
Confessarii ex particularibus frequentius pœnitentibus ad dolorem excitant.

nunquam personam illam amplius offendere. Sicque ex ipsâ naturâ reconciliationis habetur, latius patere debere propositum, quam dolorem.

XIV.

Quo sensu doceat Concilium Tridentinum dolorem in hoc Sacramento debere excludere voluntatem peccandi.

Dices: Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite quarto docet, dolorem debere voluntatem peccandi excludere, sed nisi sit universalis non excludit voluntatem peccandi, ergo. Respondetur, mentem Concilii esse dolorem debere excludere voluntatem peccandi, id est, debere conjungi cum proposito universalis: unde plerumque Concilia loquuntur de dolore & proposito tanquam de duobus distinctis; sic enim Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos, & Tridentinum hoc ipso capite quarto, de hoc dolore loquens, docet debere esse detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero: sessione verò sextâ, capite sexto apertè ponere videtur propositum servandi deinceps mandata, à dolore distinctum. Debet ergo esse propositum universale: unde quando non adest explicitum, debet dari implicitum, seu dolor & detestatio ex motivo aliquo generali, ut bene Coninck disp. illâ quartâ, num. trigesimo nono, de quo plura sectione sequente: ubi etiam quis dolor ad valorem, quis ad fructum Sacramenti requiratur.

XV.

Ex Conciliis non habetur nisi requiri dolorem de peccatis, quæ quis admisit.

Certè ex Scriptura & Conciliis proximè citatis haberi videtur, non requiri dolorem nisi de peccatis, quæ quis admisit, ac proinde non necessariò terminari debere ad omnia; Scripturæ enim solum requirunt ut relinquamus vias nostras pravas, id est retractemus peccata quæ commisimus. Concilium etiam Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto de hoc dolore loquens dicit continere veteris vitæ odium, citatque illud Ezechielis decimo-octavo: *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus pravaricari estis,* &c. quæ omnia solum requirunt dolorem de peccatis admisitis; & alioqui sequeretur, tamen in quo confitetur sola venialia, debere ipsum habere dolorem de peccatis omnibus mortalibus, quod tamen adversarii communiter negant: sicut ergo ipsi explicant Concilium, ita & nos explicare poterimus.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe.

I.

Proponitur status præsens contritio.

HOc est, utrum dari possit Sacramentum Pœnitentiæ habens materiam & formam ad sui constitutionem requisitam, quod tamen gratiam suscipienti non conferat, quâ de causâ possit dici informe, seu non formatum, vel informatum Charitate & gratiâ iustificante, sicut Disputatione sexagesima-sextâ de Sacramentis in genere, sectione tertîâ diximus de Baptismo & aliis Sacramentis, disputationem autem de Pœnitentiâ huc rejecimus.

II.

Ratio dubitandi est, quia dolor est pars essentialis hujus Sacramenti.

Ratio difficultatis est, quia si est informis pœnitentiâ, id accidit defectu doloris, hoc autem dici nequit; esto enim in aliis Sacramentis hoc aliquando contingat, at in Sacramento Pœnitentiæ accidere non potest, hoc siquidem tanquam partem sui includit dolorem, nam juxta Concilium Florentinum in decreto Eugenii ad Armenos materia ejus sunt actus pœnitentis, contritio & confessio, quod etiam docet Tridenti-

num sessione decima-quartâ, capite tertio, & quarto de Pœnitentiâ: vel ergo adest dolor, & Sacramentum est fructuosum, vel abest, & non est validum seu non est omnino Sacramentum, cum unâ parte careat.

Prima sententia negat posse unquam dari hoc Sacramentum validum & informe ob rationem jam positam, quod scilicet idem dolor qui sufficit ad substantiam, sufficiat etiam ad effectum Pœnitentiæ: ita Major, Gabriel, Medina, & alii, qui ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ requirunt contritionem, quorum sententiam supra rejecimus. Ex aliis verò qui dicunt sufficere attritionem, tenet Vasquez quæst. nonagesima-secundâ, art. secundo, num. decimo tertio, & acriter defendit Coninck disp. quartâ, dub. undecimo, Præpositus quæst. secundâ, Gamachus de Pœnitentiâ capite vigesimo primo, Kellisonus quæst. nonâ supplementi, artic. primo, dub. primo, Facundez, & alii nonnulli.

Secunda sententia docet posse hoc Sacramentum simul esse validum & informe: ita Sanctus Thomas in supplemento, quæst. nonâ, art. primo, & in quarto, dist. decima-septimâ, quæst. tertîâ, artic. quarto, quem sequuntur Thomista, Capreolus, Paludanus, Soto, Caietanus, Cano, Ledesma, & alii, Suarez hic disp. vigesimâ, sect. quintâ, Valentia quæst. undecimâ, puncto secundo, ubi hanc sententiam vocat communem, Henriquez libro quarto, cap. vigesimo-sexto, num. secundo, & libro quinto, cap. undecimo, num. primo & tertio, Silvester, Navarrus, Toletus, Tannerus disp. sextâ, quæst. septimâ, dub. sexto, & alii.

Variè hæc sententia defenditur à suis Auctoribus: dicunt aliqui non requiri ad valorem Sacramenti dolorem efficacem, sed inefficacem sufficere, & quandam velleitatem, & consequenter Sacramentum, licet sit validum, esse tamen informe defectu doloris intensivi. Alii per se requiri asserunt ad valorem Sacramenti verum dolorem & attritionem, per accidens tamen sufficere putant existimatam, etsi ex tali inadvertentiâ procedat, quæ peccatum non excludat, sed culpabilis sit, etiam mortaliter. Alii sufficientem esse dicunt attritionem existimatam, dummodo invincibiliter ignoretur esse talis. Sed contra hos omnes dicendi modos facit, tum quod Concilia ubi de hoc Sacramento loquuntur requirunt tanquam partem illius essentialem verum dolorem, seu simpliciter, talis autem non est tantum inefficax, qui tantum est dolor inchoatus & secundum quid, multo minus sufficit dolor existimatus, aut solum virtualis, sicut enim aqua virtualis non sufficit ad Baptismum, sed requiritur vera, ita nec dolor virtualis ad pœnitentiâ, sed verus & formalis requiritur, præcipuè ob rationes Sect. præcedente allatas de accusatione & reconciliatione.

Antequam statuamus conclusiones notandum cum Suariorum disp. septimâ de Sacramentis in genere, sect. quartâ, & hic disp. nonâ, sect. primâ Coninck quæst. sexagesima-secundâ, art. primo, dub. secundo, & aliis communiter, peccatum mortale ab aliquo commissum, nunquam sine aliquâ retractatione remitti. Hoc insinuare videtur Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto his verbis: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus necessarius: ubi contritionem latè sumit, prout communis est etiam attritioni, ut patet ex contextu.*

Hinc

III. Prima sententia negat Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe.

IV. Secunda sententia affirmat Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe.

V. Non eadem ratio procedens in hac sententiâ ejus Auctores.

VI. Notandum, peccatum mortale commissum, nunquam sine aliquâ retractatione remitti.

VII. Hinc sequitur: Si quis duo peccata commiserit, puta furtum & homicidium, & de altero solum dolorem habeat, qui non extendatur ad aliud, etiamsi inculpabiliter id contingat, non tamen esse hominem illum dispositum ad gratiam, & ullius ex his peccatis remissionem, ut cum Suario disp. 5. sect. 1. & communi sententiâ, notat Tannerus hic, disp. 6. quæst. 6. dub. quarto, num. octogesimo secundo. Ratio est, quia cum unum mortale remitti pro hoc statu non possit sine alio, & nullum peccatum, nisi tollatur in ratione voluntarii, remittatur (congruum enim videtur ut is, qui peccando se à Deo voluntariè avertit, nisi iterum per propriam voluntatem se aliquo modo ad eum convertat peccatum detestando, in gratiam non recipiatur) cum alterum peccatum non tollatur in ratione voluntarii, illud, & consequenter neutrum remitti potest. his positus

VIII. Dico primò: Etsi Baptismus, & alia Sacramenta, licet valida, informia esse possint ratione sacrilegii, seu peccati mortalis in ipso susceptione commissi, id tamen de Sacramento Pœnitentiæ dici non potest. Ratio est, quia Concilia tanquam partem hujus Sacramenti requirunt propositum non peccandi mortaliter de cætero, sed qui actu in ipsâ Sacramenti susceptione committit peccatum mortale, non potest dici habere hujusmodi propositum, cum actu faciat aliquid cum tali proposito impossibile, ergo: Major probatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, & Tridentino sessione 6. capite sexto, & sessione 14. capite quarto, ubi tanquam quid ad hoc Sacramentum requisitum requiritur propositum non peccandi de cætero. Unde Sanctus Gregorius homiliâ 34. in Evangelia dicit: *Pœnitentiæ est commissi plangere, & plangenda non committere.* Confirmatur: Ubi est formalis impenitentia non potest esse pœnitentiæ, ubi verò actu committitur peccatum mortale est formalis impenitentia, ergo.

IX. Ratio autem, cur in aliis Sacramentis non obstat illorum valori peccatum mortale actu in eorum susceptione commissum, est, quia dolor, aut propositum non peccandi non sunt pars illa constituens, sicut sunt pars constituens Sacramentum Pœnitentiæ, unde si in illis desit hujusmodi dolor, aut propositum, solum deest aliquid spectans ad effectum illorum, hic autem si desint, deest aliquid quod spectat ad hujus Sacramenti essentiam, sicut spectat corpus aut anima ad essentiam hominis.

X. Dico secundò: Defectu integritatis confessionis non potest hoc Sacramentum reddi validum & informe. Ratio est, quia, ut definitum est in Concilio Tridentino sessione 14. capite 5. Christus instituit integram peccatorum confessionem, & hanc ait omnibus post Baptismum lapsis necessariam esse jure divino, quod de confessione saltem formaliter integrâ intelligendum est juxta communem Theologorum sententiam: vel ergo qui aliquod peccatum in confessione omittit, id facit scienter, & novum peccatum committit, & consequenter non habet dolorem illum & propositum ad essentiam Sacramenti requisitum, juxta dicta superiori conclusione, & Sacramentum non est validum, vel id facit ex ignorantia & oblivione inculpabili, & tunc, cum confessio adhuc sit formaliter integra, habebit effectum, si ponatur dolor universalis, ut suppono, & consequenter peccata omnia retrahentur & tollantur in ratione obicis, seu interpretativè voluntarii.

etentur & tollantur in ratione obicis, seu interpretativè voluntarii.

Dico tertio: Defectu tamen doloris, seu attritionis potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe: ita Suarez, & alii Auctores in secundâ sententiâ citati. Explicatur conclusio: Potest quis habere dolorem de uno peccato non de alio, vel formaliter vel virtualiter, aut ratione inadvertentiæ seu oblivionis inculpabilis, aut quia illud mortale esse non putat, aut tandem quia dolor non procedit ex motivo universali, ut si quis doleret de peccato furti, exempli gratia ob peculiarem & specificam rationem furti, is certè non doleret vel virtualiter de homicidio aut adulterio, & tamen si quis duo ex his peccatis commisisset, & de altero tantum ob specialem illius peccati rationem doleret, afferret dolorem sufficientem ad Sacramentum Pœnitentiæ, modò adsit propositum universale, ut affirmat Suarez disp. vigesimâ, sect. 5. num. septimo, Tannerus disp. 6. quæst. 7. dub. sexto, num. centesimo tertio, & multi ex recentioribus, nec plus requiri videtur à Concilio Tridentino, quod sessione 14. capite quarto loquens de attritione ad hoc Sacramentum necessariâ, ait eam oriri vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ergo dolor ortus ex solâ consideratione turpitudinis peccati est sufficiens secundum Concilium ad hoc Sacramentum.

Probatur itaque conclusio: Ponamus aliquem accedentem ad Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore universali, ut si doleat de uno peccato & non de alio, aut magis generatim de peccatis ob motivum reincidentiæ (idem est de motivo hominis Christiani, personæ in sacris constitutæ, &c. in casibus qui fingi possent) hic affert dolorem verum de peccato, propositum similiter universale non peccandi de cætero, quidni ergo ubi à Sacerdote profertur absolutio, verum constituetur Pœnitentiæ Sacramentum, ex parte siquidem pœnitentis ponitur vera materia, nempe confessio formaliter integra, ex parte etiam Sacerdotis ponitur vera forma, ergo &c.

Dices: Ad Sacramenti Pœnitentiæ constitutionem non requiritur solum confessio formaliter integra, & absolutio, sed etiam dolor. Contra: Hic etiam ponitur dolor, nulla autem est ratio, cur sicut sufficit confessio formaliter integra, seu quæ extendatur ad peccata, quorum quis recordatur, ita non etiam sufficiat attritio formaliter integra; primò enim attritio non requiritur nisi ut reddat confessionem, veram accusationem, quam semper comitari debet dolor de iis peccatis, quæ quis confitetur, etsi autem non sit de aliis, est tamen confessio illa vera accusatio. Deinde si quis arguat ex auctoritate Concilii Tridentini asserentis ad hoc Sacramentum requiri dolorem de peccatis: eodem modo Concilium requirit peccatorum confessionem; sic enim sessione sexta, capite decimo quarto docet Pœnitentiæ hominis Christiani post lapsum includere detestationem peccatorum, & eorundem sacramentalem confessionem, ac Sacerdotis absolutionem: Sicut ergo secundum omnes, non obstante hoc dicto Concilii, sufficit confessio formaliter integra, seu peccatorum, quæ post diligentem examinationem menti occurrunt, ita sufficit contritio formaliter integra, cum eorundem peccatorum confessionem exigat Concilium, quorum est attritio.

XI. Defectu doloris potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe.

XII. Ostenditur Sacramentum Pœnitentiæ posse defectu doloris esse validum & informe.

XIII. Obicitur ad valorem Sacramenti insuper requiritur dolor.

XIV.
Ostenditur
dolorem, qui
est pars hu-
jus Sacra-
menti, non
semp̄ suffi-
cere ad gra-
tiam.

Secundò probatur conclusio ratione oppositâ fundamento contrariæ sententiæ supra posito, quòd scilicet dolor, qui est pars hujus Sacramenti, sit etiam dispositio sufficiens ad gratiam: contra quod sic argumentor, & simul probo conclusionem: Dolor qui est pars hujus Sacramenti non semper est dispositio sufficiens ad gratiam, ergo non obstante hac ratione potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum, & tamen informe: Antecedens probatur: Dolor qui est pars hujus Sacramenti, est tantum dolor sensibilis, ergo quicumque alius dolor elicitur ab accedente ad hoc Sacramentum, concomitanter tantum sit, & non ingreditur Sacramenti constitutionem, sed tantum conducit ad illius effectum, ergo si abesset ille alius dolor, adhuc manerent omnes partes Sacramenti, & consequenter illius essentia. Ponamus itaque aliquem, qui commisit sex peccata venialia, quæ confitetur dolere etiam saltem generatim de mortali, cujus est oblitus, & consequenter illud in confessione non aperit, dolor ille de mortali non est pars hujus Sacramenti; non enim redditur sensibilis per confessionem, quæ ut suppono, tantum est de illis sex venialibus, sicque non alium dolorem reddit sensibilem quam illum de venialibus, & eodem modo ac si de iis solis doleret, vel etiam illa sola commisisset.

XV.
Declaratur
quo pacto
hic sit idem
dolor, eadem
confessio,
eadem abso-
lutio & in-
tentio, ac in
casu & va-
lido Sacra-
mento.

Tertiò probatur: Si quis commisso uno tantum peccato, de illo solo doleret, aut de solis venialibus, si illa sola commisisset, esset secundum omnes verum Sacramentum Pœnitentiæ, si illud solum peccatum, aut sola venialia confiteretur, & Sacerdos formam absolutionis cum intentione debitâ proferret, sed quando quis oblitus alterius peccati, de uno solo dolet & illud confitetur, aut de solis venialibus oblitus mortalis, est eadem confessio, eadem contritio, & eadem absolutio, quæ sunt partes essentielles hujus Sacramenti, & intentio debita, ergo est ibi hoc idem Sacramentum, sicut ubi est eadem materia, eadem anima, & eadem unio, est idem homo.

XVI.
Ostenditur,
malè ali-
quos affir-
mare, ad
valorem
Sacramenti
Pœnitentiæ
requiri do-
lorem uni-
versalem de
omnibus pec-
catis.

Dices: Non est ibi materia sufficiens; hæc enim non est quicumque dolor vel attritio, sed dolor universalis de omnibus peccatis. Contra primò, nam materia & forma hujus Sacramenti debent esse sensibiles, vel per se, vel per alteram partem, ergo solus dolor de peccato, quod quis confitetur, est pars, cum illo solus reddatur sensibilis juxta dicta superiore ratione. Contra secundò: Sicut sufficit confessio formaliter integra, quidni etiam contritio cum simili integritate, ut dictum est supra. Tandem gratis hoc videtur dici, ut fusiùs ostensum est sectione præcedente.

XVII.
Objic. Ergo
si quis sciens
omittat do-
lorem de
aliquo gra-
vi peccato,
Sacramen-
tum erit
invalidum.

Dices secundò: Ergo etsi quis sciens ac prudens omittat dolorem de uno peccato, erit Sacramentum validum; hic enim urgeri potest nostra argumentatio; nam eadem hic est confessio, contritio, & absolutio. Contra primò: Ergo si quis sciens & prudens omitteret aliquod peccatum in confessione, esset verum Sacramentum; foret enim eadem contritio, confessio, & absolutio. Sicut ergo secundum omnes non valet argumentum à peccato per oblivionem aut inadvertentiam in confessione omisso, ad idem scienter omisum, ita nec à dolore inadvertenter omisso ad omisum sponte. Contra secundò: Ergo si quis vellet in genere solum confiteri, cum posset in particulâ, esset validum Sacra-

mentum, quod nemo dicit, cum tamen in necessitate sit sufficiens ejusmodi confessio.

Respondetur itaque pro omni sententiâ, si dolor de aliquo peccato sponte & scienter omittatur, Sacramentum esse nullum, quia novum committitur peccatum, tum defectu propositi universalis, ut diximus sectione præcedente; peccat enim mortaliter quisquis scienter ponit obicem gratiæ, & consequenter non potest habere propositum non peccandi. Deinde peccat defectu confessionis integræ, quia hoc ipsum peccatum tenetur in confessione aperire: quod si fingatur is qui scienter omittit dolorem de uno aliquo peccato mortali, invincibiliter ignorare necessarium esse habere dolorem de omnibus, erit Sacramentum validum. Dices: Ergo & fructuosum ac formatum gratiâ cum non ponat obicem. Respondetur, nullum quidem novum poni obicem, manet tamen antiquus, peccatum scilicet unum mortale non retractatum.

Quartò probatur Conclusio: Si quis qui ante Baptismum commisit peccatum aliquod mortale, postea scitè suscipit Baptismum, hic ut fructuosè accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ, & veniam peccati quod ante Baptismum commisit, obtineat, debet de eo dolere, & tamen hic dolor nec est nec esse potest pars Sacramenti Pœnitentiæ, cum neque peccati illius confessio sit ejus pars; peccatum enim illud non est materia Sacramenti Pœnitentiæ & consequenter nec dolor de eo; ergo si per inadvertentiam non doleret de illo peccato, sed solum de commissis post Baptismum, esset eadem materia & forma illius Sacramenti, & tamen in eo casu homo ille non justificaretur, cum non retractaretur peccatum commissum ante Baptismum; Sacramenta enim, esto reddant ex attrito contritum, non tamen ex non attrito; ergo potest hoc Sacramentum esse validum & informe.

Hinc ergo infero, posse aliquando confessionem de solis venialibus esse validam simul & informem, quando scilicet quis existens in peccato mortali cujus non recordatur, sicque de illo non dolet, confitetur sola venialia, & de iis dolet: in hoc ergo casu confessio esset valida juxta dicta & informis ratione illius peccati mortalis non retractati.

SECTIO TERTIA.

Objectiones contra Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe.

OBICIES primò: Requiritur ad valorem Sacramenti propositum universale, ergo & dolor universalis, ergo Sacramentum nunquam erit validum, quin etiam sit formatum, cum semper retractentur omnia peccata. Respondetur, negando primam consequentiam, & præter dicta hac de re Sectione primâ Concilium Florentinum & Tridentinum alio modo loquuntur de dolore, alio de proposito, hoc expressè requirunt ut sit universale, in illo nunquam exigunt universalitatem, quare dicunt dolorem debere esse de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: unde constat latius patere propositum quam dolorem, cum hic tantum sit de peccato commisso, illud ad omnia peccata extendatur.

Objicit

II. Dices: Sufficienter dispositus accedit ad recipiendam gratiam, qui offert materiam sufficientem ad Sacramentum.

Objicit secundò Vasquez quæst. nonagesima-secundâ, art. secundo, num. vigesimo-secundo, sufficienter dispositus accedit ad Sacramenti hujus effectum, qui offert materiam sufficientem; hic enim facit quod ex parte ipsius requiritur, unde talis jure postulat absolutionem, nec potest ei negari, neque aliud ex parte accedentis ad hoc Sacramentum requiritur, quàm ut talem dispositionem afferat, quæ sententiam Judicis reddat validam. Respondetur, negando antecedens, ad probationem dico hominem habere jus ut ei conferatur Sacramentum, & detur sententia absolutionis, sicut habet qui in peccato ex ignorantia inculpabili existens petit Eucharistiam, aut aliud Sacramentum vivorum: unde non potest Sacerdos jure ei Sacramentum illud negare, & tamen non recipit illius effectum ratione obicis peccati non retractati: idem est in præsentibus. Si autem pœnitens sciret impedimentum illud occultum, non posset jure petere Sacramentum, vel Eucharistiam vel Pœnitentiam, imo hoc esset nullum ut supra diximus, sicut si scienter peccatum aliquod mortale reticeret.

III. Dices: Si Sacramentum sit validum, ergo valida est absolutio, ergo pœnitens absolvitur valide.

Objicitur tertio: Si in hoc casu Sacramentum Pœnitentiæ sit validum, seu forma absolutionis valide data; ergo Sacerdos valide absolvit, ergo pœnitens vicissim valide absolvitur, ergo peccata illa de quibus habuit dolorem, ei remittuntur, ergo & alia, cum unum peccatum ei pro hoc statu non remittatur sine alio, ergo recipit gratiam. Contra, hoc idem argumentum fieri potest de Baptismo, qui tamen secundum communem sententiam Theologorum sequentium Sanctum Augustinum, potest esse validus & informis, & tamen arguere eodem modo quis posset, si vera ablutio à peccatis ei confertur, ergo verè abluatur & mundatur, æquè ac hic verè absolvitur. Respondetur ergo, per Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ valida sed informia, mundari, abluatur, & absolvi hominem à peccatis solum in actu primo, seu dari jus ut ubi ablati fuerit obex, seu peccatum in ratione voluntarii, tunc mundetur & absolvatur in actu secundo.

IV. Objic. Non posse peccatum illud postea per Sacramentum Pœnitentiæ remitti.

Dices: Etiam si postea ponatur dolor de peccato illo, adhuc non potest remitti per hoc Sacramentum Pœnitentiæ; per nullam enim partem sui illud respicit, dolor namque, qui est pars hujus Sacramenti, non omnino ad illud extenditur, ut concedimus. Respondetur primò, fortè hoc Sacramentum non reviviscere, de quo postea. Secundò respondetur, hoc solum probare non remitti directè per hoc Sacramentum, sed tantum indirectè: sicut & quando quis ex ignorantia, aut oblivione inculpabili omittit in confessione peccatum aliquod, remittitur tamen indirectè per absolutionem, quæ illi confessioni adjungitur. Ratio est, quia Sacramentum est quod dat gratiam, nempe in actu primo, scilicet jus ad gratiam, ergo ipso facto quod Sacramentum est validè collatum, ubi non est obex confert gratiam.

V. Dices: Concilia eundem dolorem assignant pro dispositione ad gratiam, quam assignant pro parte hujus Sacramenti.

Objicitur quartò ex Vasquez citato, numero decimo nono & vigesimo, dolorem, qui est dispositio ad gratiam assignari à Concilio tanquam partem hujus Sacramenti; nec enim duplicem distinguunt dolorem, unum qui sit dispositio ad gratiam, alium qui sit pars Sacramenti: imò Concilium Tridentinum sessione sexta, cap. 6. & 14. eandem dispositionem ad gratiam per Baptismum conferendam assignat, quam sessione decimâ quartâ, capite quarto assignat ut partem

Sacramenti Pœnitentiæ. Respondetur primò, hoc sensu Concilium utrobique requirere eandem dispositionem, nempe generatim dolorem; non tamen hinc sequitur eundem specie vel numero dolorem requiri, nec Concilium unquam hoc dicit; solummodo enim dolorem & detestationem peccatorum requirit, tam ad justificationem in Baptismo, quàm ut partem ad constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod etiam nos cum Concilio asserimus.

Secundò respondetur, per se loquendo, seu nisi ex accidente aliquo, ut oblivione, inadvertentiâ, &c. contingat non dari dolorem de peccato aliquo commisso, eandem attritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, & dispositionem sufficientem ad gratiam; imo ut supra vidimus; frequenter contingit dolorem illum disponere ad gratiam in hoc Sacramento conferendam, qui non est pars Sacramenti, cum non sit secundum omnia sensibilis, ut in casu supra posito cum quis, licet doleat de omnibus peccatis, confitetur tamen unum solum vel alterum, quia aliorum inculpabiliter obliviscatur, aut sola venialia oblitus mortalis, quo in casu etiam agnoscunt adversarii Sacramentum confici, & conferri gratiam, etsi dolor ille ut respicit peccata non aperta in confessione, non sit sensibilis, nec pars Sacramenti.

Dices, Concilium tantum velle dolorem illum, qui est pars Sacramenti, disponere quidem ad gratiam, non tamen adequatè, sed solum inadæquatè, nempe secundum aliquid sui, hoc autem semper contingit. Contra: Si præcisè quis spectet verba Concilii, videtur convertibiliter accipere partem Sacramenti & dispositionem ad gratiam: Si ergo adversariis licet explicare Concilium quando dicit dolorem qui est dispositio ad gratiam esse partem Sacramenti, id est aliquid illius doloris, seu dolorem illum prout terminatur ad peccata, quæ deteguntur in confessione, esse partem Sacramenti, non autem prout terminatur ad alia, quidni etiam nobis licebit idem Concilium explicare, quòd solum velit, per se loquendo dolorem qui est pars Sacramenti, esse dispositionem sufficientem ad gratiam, etsi quandoque contrarium per accidens possit contingere: sicut etiam dicunt ipsi Concilium solum requirere dolorem universalem in confessione peccatorum mortalium, non venialium. Item quando Scriptura & Patres dicunt neminem justificari sine dolore peccatorum, dicunt intelligi debere per se loquendo, & dolorem esse solum medium ordinarium, idem ergo & nos dicemus, per se loquendo, & ordinariè dolorem illum qui est pars Sacramenti, esse sufficientem ad gratiam, hoc tamen non obstat quo minus aliud possit per accidens contingere.

Objicitur quintò cum Coninck disp. quartâ, dub. undecimo, num. 73. Si dolor de uno peccato & non de alio sit materia sufficiens, ut diximus, ergo posset quis hoc Sacramentum valide suscipere, etiam cum affectu peccati mortalis. Respondetur negando sequelam, defectu scilicet propositi, ut latius dictum est sect. præcedente, in tertiâ probatione conclusionis. Deinde ex alio titulo Sacramentum hic potest esse nullum, nempe defectu confessionis formaliter integræ; debet enim confiteri peccatum illud mortale, quod in ipsâ confessione & susceptione Sacramenti committitur.

VI. Adde tamen, per se loquendo, eundem dolorem esse partem hujus Sacramenti, & disponere ad gratiam.

VII. Objic. Tantum velle Concilium dolorem, qui est pars Sacramenti, disponere ad gratiam inadæquatè.

VIII. Dices: Ex nostra sententiâ sequitur posse aliquem hoc Sacramentum valide suscipere cum affectu peccati mortalis.

IX.
Dicitur: Accedens ad hoc Sacramentum vult reconciliationem cum Deo, ergo implicitè habet aversionem ab omni peccato mortali.

X.
Hoc argumentum, cum nimis probet, nihil probat.

XI.
Alius est actus, quo quis vult in actu signato reconciliationem cum Deo, alius quo hoc vult in actu exercito.

XII.
Abus praedicti imperantes continent votum, actum amoris Dei, etc. tantum per modum objecti.

Objicitur sextò cum eodem Coninek dub. 5. num. quadragesimo, & dub. undecimo, num. septuagesimo quarto: quicumque accedit ad hoc Sacramentum, vult reconciliationem cum Deo, voluntas autem reconciliationis cum Deo, necessariò includit, saltem implicitè, aversionem ab omni eo quod graviter offendit Deum, & consequenter ab omni peccato mortali; omnis enim efficax amor boni alicujus continet, saltem implicitè, detestationem mali oppositi, ergo amor efficax reconciliationis cum Deo est detestatio, saltem implicita, omnium illorum, quæ avertunt à Deo: ulterius, sed omnis dolor sufficiens ad essentiam hujus Sacramenti continet saltem implicitè voluntatem efficacem reconciliandi se cum Deo, ergo &c.

Hoc argumentum nimium probat, nam secundum illud, si quis volens reconciliari cum Deo accedat ad confessionem sine ullo omnino dolore putans invincibiliter ad reconciliationem cum Deo non requiri dolorem ullum, sed solummodo confessionem cum proposito non peccandi de cætero; probat inquam, argumentum hunc per absolutionem justificandum, cum efficaciter velit reconciliationem, & consequenter juxta hanc rationem efficaciter detestetur omne id quod huic reconciliationi obstat, nempe peccatum omne mortale; nullus tamen, opinor, dicit hunc recipere gratiam, vel in hoc casu validum fieri Sacramentum, ergo non omnis amor efficax alicujus boni est implicitè & æquivalenter detestatio mali oppositi, saltem immediatè: pro quo

Notandum, alium esse actum quo quis in actu quasi signato vult reconciliationem cum Deo, alium quo in actu exercito: primus actus non ponit formaliter ea quæ sunt necessaria ad reconciliationem, sed solum est voluntas ea ponendi, sicque tantum per modum cujusdam imperii procedit aut intentionis, actus autem imperans potest esse multo imperfectior imperato, nec eum continere æquivalenter; virtus enim inferior potest imperare actum virtutis superioris: sic affectus misericordiae erga proximum imperare potest actum religionis, & efficere ut quis oret, aut votum pro eo emitat, sic ex desiderio salutis potest quis elicere actum contritionis, aut amoris Dei super omnia, & tamen nullus dicit actum Spei seu amorem beatitudinis esse æquivalenter amorem Dei super omnia, seu æquivalenter præstare illius effectum, sic enim disponderet ad gratiam.

Hi ergo actus solum continent votum, orationem, actum amoris Dei, contritionem, &c. per modum objecti: sic etiam desiderium reconciliationis cum Deo tendens in actu signato per modum meræ intentionis & imperii habet solum actus ad reconciliationem requisitos pro objecto, unde sicut quantumcunque efficaciter velit quis salutem, nisi ponat actum amoris Dei, aut contritionem, vel attritionem cum Sacramento, nunquam illam consequetur, sicut nec doctrinam, nisi quis studeat quantumvis eam efficaciter desideret; ita in præsentia, licet quis efficaciter cupiat reconciliationem cum Deo per Sacramentum, nisi tamen ponat necessaria, nempe dolorem, nunquam illam assequetur; ergo merè hæc voluntas non sufficit, nec est detestatio peccati, aut dolor, sed voluntas doloris & detestationis per modum imperii illativa, sicut voluntas efficax salutis est respectu mediorum,

quæ tamen nisi adhibeat, nunquam ex vi prioris voluntatis consequetur salutem. Verum quidem est priorem voluntatem inferre necessariò posteriorem, seu dolorem, si tamen Deus subtrahendo concursus, hanc secundam voluntatem impediret, non poneretur Sacramentum, cum una illius pars, nempe dolor deesset.

Si autem per voluntatem reconciliationis cum Deo intelligat P. Coninek ejusmodi actum in actu exercito, seu qui simul sit aliquo modo detestatio peccati, tunc verum est poni sufficientia ad gratiam, si actus sit universalis, seu de omnibus peccatis à penitente commissis, omnis autem voluntas reconciliationis non est hujusmodi formaliter, sed ad summum causaliter, seu illativa doloris; actus enim qui sit voluntas reconciliationis & simul dispositio ad gratiam debet dicere, *Volo reconciliationem cum Deo, quem utinam nunquam offendissem*, &c. constat autem omnem voluntatem reconciliationis non necessariò esse hujusmodi, sicut licet aliquis actus, qui est propositum efficax amandi Deum, sit simul amor in actu exercito, ut si quis dicat, *Amabo Deum, quem, quia infinite bonus est, malo mori, quam offendere*, omne tamen efficax propositum amandi Deum hoc non habet, ut si quis simpliciter & in actu signato statuatur amare Deum eo tempore quo obligat præceptum; licet enim hoc propositum necessariò inferat amorem suo tempore, non tamen est æquivalenter amor, sicut nec intentio efficax sumendi medicinam est æquivalenter illius sumptio.

Dices cum eodem: actus amoris Dei super omnia continet virtualiter detestationem omnium peccatorum, quia non potest stare cum affectu ad peccatum, ergo. Respondetur actum amoris Dei super omnia non per modum imperii solum habere se circa detestationem, & in actu signato, sed versatur immediatè circa ipsum obiectum detestationis, saltem implicitè; amare enim Deum super omnia est velle quidvis potius, quam illius displicentiam, ac proinde etiam tunc non recedat peccati à se commissi, sicque explicitè illud sub hac ratione non detestetur, detestatur tamen implicitè, sicut & cogitat de peccato implicitè: unde qui amat Deum perfecte super omnia prosequitur & fugit formaliter, & immediatè in actu exercito, quamvis implicitè, quicquid vel placet ei, vel displicet, sicque omnis hujusmodi amor est æquivalenter dolor & detestatio: at verò desiderium reconciliationis præcisè, tantum habet pro objecto immediato ipsum amorem Dei vel dolorem, idque per modum imperii & applicationis, applicatio autem sæpè est multo imperfectior re applicatâ, ut in rebus physicis per ubicationem applicantur agentia perfectissima. Sicut ergo nullus docet desiderium, vel teconciliationis vel salutis, ex eo quod per modum imperii & applicationis contineat amorem Dei, esse æquivalenter & implicitè amorem Dei super omnia, ita nec est æquivalenter & implicitè dolor: sed de hoc plura cum de natura doloris & contritionis.

Objicies septimò: Hinc sequi aliquem, qui dolorem sufficientem ad Sacramentum validum constituendum asserit, posse dampnari, quod tamen videtur durum, cum ipsius culpâ non accidat, ut Sacramentum sit informis. Hoc argumento putavit rem confici P. Fagundez, sed quam parum hoc urget facile constabit: primò enim retorquere possumus argumentum, nam in utrâque

XIII.
Actus vult reconciliationem cum Deo in actu exercito, est simul detestatio peccati.

XIV.
Longè alia ratio est de actu amoris Dei super omnia, & de proposito reconciliationis cum Deo.

XV.
Dicitur: Ergo ejusmodi dolorem asserere dampnari potest.

SECTIO QUARTA.

Quædam alia circa valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

in utraq[ue] sententiâ supponimus hunc hominem accedere cum eodem dolore, nempe qui non se extendat ad omnia peccata mortalia commissa, unde sola differentia est, quod nos dicamus hominem illum afferre dolorem sufficientem ad constituendum Sacramentum, licet non ad gratiam, Adversarii verò ne quidem ad constituendum Sacramentum. Damnaabitur itaque juxta utramque sententiam, æquè autem durum est ut damnetur quis qui adhibens cum conatum, quem putat necessarium, nullâ suâ culpâ non conficit Sacramentum, atque is qui nullâ suâ culpâ conficit quidem, sed informe, imò durius cum homine illo procedit contraria sententia, nam juxta illam debet hic homo omnia illa peccata denuo confiteri, quod onus nostra ei sententia non imponit ut videbimus Sectione sequente. Deinde quid hic magis durum, ut qui affert sufficientia ad pœnitentiam damnetur sine novâ culpâ ob peccatum præteritum, quam qui affert sufficientiam ad Baptismum, qui secundum omnes potest esse validus & informis, aut ut damnetur is qui cum dolore sufficiente ad constitutionem & etiam valorem Sacramenti confitetur alicui, qui etsi communiter habeatur Sacerdos, re tamen ipsâ non est.

In utraq[ue] proinde opinione eandem est difficultas.

XVI. Obicitur etiam S. Thomas, qui dicere videtur contritionem ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ requiri.

Objicies octavo: Sanctum Thomam in quarto, dist. vigesimâ-tertiâ, quæst. primâ, articulo quarto, quæstionculâ secundâ in corpore, ubi dicit contritionem esse de essentiâ pœnitentiæ; ergo nunquam potest esse valida & informis, cum contritio nunquam esse possit non formatâ gratiâ. Sed contra: mens enim alicujus Auctoris non est investiganda per verbum aliquod obiter ex aliâ occasione dictum, ut hoc dixit Sanctus Thomas, quæstio enim ibi erat de formâ Extreme-unctionis, non de pœnitentiâ. Cum ergo loco à nobis citato in terminis quærat an hoc Sacramentum possit aliquando esse informe, & in corpore articuli directè ad quæstionem respondens dicat posse, & ad idem probandum tendat totus reliquus articuli discursus, oportet non hunc locum per illum, sed è contra illum per hunc explicare, & dicere Sanctum Thomam ibi contritionem latè sumere, prout significat dolorem de peccatis, quamvis non sit ex motivo Charitatis. Quo etiam modo loquitur Concilium Tridentinum sessione decimâ-quartâ, cap. 4. ut supra ostensum est.

XVII. Obicitur S. Thomam variis locis dicere attritionem sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ.

Deinde non in quarto solum, distinctione decima-septimâ, quæstione tertiâ, articulo quinto jam citato, sed multis aliis locis affirmat sanctus Thomas sufficere ad hoc Sacramentum attritionem, nempe in quarto, distinctione decima-octavâ, quæstione primâ, articulo tertio, quæstionculâ primâ, & distinctione vigesima-secundâ & vigesima-quartâ; item in opusculis, & clarissimè tertiâ parte, quæst. octavâ, articulo quarto, ad secundum, ubi quærens, utrum possit quis in peccato accedere ad Eucharistiam, respondet negativè: etiamsi, inquit, ad Baptismum & Pœnitentiam possit, & discrimen reddit inter hæc Sacramenta, quod Eucharistia sit medicina confortativa, quæ non datur nisi liberatis à peccato: Baptismus autem, inquit, & Pœnitentia sunt quasi medicina purgativa, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: unde ex adversariis P. Vasquez & Coninck, qui sinceriores esse solent hac in parte fatentur nostram sententiam esse sententiam Sancti Thomæ: quod etiam admittit Gamachæus, & alii.

R. P. Comptani Theol. Schol. Tom. II.

QUÆRES primò: Utrum in hoc Sacramento dari possit peccatum fictionis, per quod esto sit validum, reddatur tamen informe, sicut in tractatu de Sacramentis in genere diximus de Baptismo, in quo reperitur fictio formalis? Respondetur non posse; ipso enim factio quod in susceptione Sacramenti committatur peccatum, deest una pars Sacramenti, ut latius ostensum est Sectione secunda: unde in hoc Sacramento solum potest contingere fictio materialis.

I. Possine in hoc Sacramento dari fictio formalis?

QUÆRES secundò: Utrum Sacramentum Pœnitentiæ reviviscat, seu recedente fictione hac materiali habeat effectum, ita ut homo post attritionem de peccato, de quo antea per inadvertentiam non doluerat, gratiam consequatur? Negat Sotus & alii, quos sequitur Vasquez quæst. nonagesima-secundâ, articulo tertio, dubio quarto. Communis tamen sententia affirmat, quam tenet Sanctus Thomas in quarto, distinct. decima-septimâ, quæst. tertiâ, articulo quarto, quæstionculâ primâ, & in supplemento quæstione nonâ, articulo primo, corpore, quem sequitur Caietanus, Petrus Soto, Ledelma, Durandus, Suarez hic, disput. vigesimâ, sect. 5. num. decimo-quarto, Valentia disput. septimâ, quæst. II. puncto secundo, & alii.

II. Quæres: Utrum Sacramentum Pœnitentiæ reviviscat.

Ratio est quam optimè prosequitur Valentia citatus, quia in Lege novâ omnia peccata mortalia commissa post Baptismum, non indirectè solum, sed directè remitti debent per Pœnitentiam, nam si sufficeret indirecta remissio, sequeretur contra omnes Theologos non esse obligationem confitendi peccata illa, quæ per obligationem erant in priori confessione omissa; jam enim indirectè & concomitanter sunt cum reliquis remissa per absolutionem super alia prolata; ergo pœnitentia valida & informis reviviscit, alioqui peccata illa, de quibus habuit dolorem requisitum non remitterentur directè per illum Sacramentum Pœnitentiæ.

III. Ratio est, quia jam peccata mortalia remitti debent directè per Sacramentum Pœnitentiæ.

Dices: Remitti per contritionem. Contra: Contritio juxta Tridentinum sessione decima-quartâ, capite quarto, est votum Pœnitentiæ, & relinquit obligationem suscipiendi illam, ubi quis potest, sed hic nulla est obligatio accedendi amplius ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confitendi peccata illa quæ cum dolore debito semel est confessus, nam ex præcepto Christi solum semel tenetur peccata sua subjicere clavibus, & validæ Sacerdotis sententiæ, quod jam fecit, etsi gratiam ratione obicis non susceperit.

IV. Quod peccata illa per contritionem remittantur, non tollit obligationem ea confitendi.

Confirmatur: Nam juxta communem Theologorum sententiam præcepta de aliis Sacramentis implentur sufficienter, etsi quis ea etiam cum peccato recipiat; ergo à fortiori præceptum pœnitentiæ per confessionem validam, & sine peccato factam licet ratione obicis sit intractuosa. Confirmatur secundò: Una etenim ex præcipuis rationibus cur Theologi ponant Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, est ut liberent pœnitentem ab onere peccata prius validæ Sacerdotis sententiæ submissa iterum

V. Præcepta in aliis Sacramentis implentur sufficienter, etiam cum peccato mortali, ergo à fortiori licet cum Sacramento valido.

repetendi; ergo non est necessarium ea iterum confiteri: cum itaque debeant per aliquod Sacramentum remitti, necessario dicendum hoc Sacramentum reviviscere, per quod directè remittantur.

VI. Ad hoc ut Sacramentum reviviscat, non requiritur ut non sit simpliciter non iterabile.

Hæ rationes sufficienter probant Sacramentum Pœnitentiæ reviviscere, licet non sit simpliciter non iterabile sicut Baptismus & Confirmatio. Peccatum tamen illud quod quis sine dolore debito est confessus, ut docet Sanctus Thomas citatus, & vocat fictionem, debet iterum confiteri; quod enim quis non debite confitetur, perinde est atque si non confiteretur omnino: unde sicut si peccatum aliquod mortale, inculpabiliter in confessione omisisset, teneretur postea illud confiteri, ita & peccatum quod sine dolore debito est confessus, sive id contigerit ex ignorantia juris, quod scilicet invincibiliter ignoraverit debere afferri dolorem de omnibus peccatis, quod tamen ægrè potest accidere; sive facti, ex eo quod aut hoc putet non esse peccatum, vel saltem non mortale, aut quod existimet se de eo habuisse dolorem sufficientem, cum tamen eum non habuerit.

VII. Certum est dolorem præcedere debere absolutionem: sententia enim semper est ultimum.

Quæres tertio: Quomodo se habere debeat dolor in Sacramento Pœnitentiæ? In primis certum est debere præcedere absolutionem; absolutio enim est sententia, hæc autem in Judicio semper debet esse ultimum, illud perficiens & consummans. Deinde non est dubium quin confessio saltem præcedere debeat absolutionem, cum sit accusatio, dolor autem est de intrinseco conceptu hujus accusationis, cum sit voluntaria, cum spe veniæ, &c. ergo.

VIII. Prima sententia affirmat dolorem præcedere debere confessionem.

Difficultas est: Utrum dolor debeat præcedere confessionem? Affirmat Coninck disputatione quarta, dubio sexto, quia confessio est signum doloris, & cum reddere debet sensibilem, hoc autem facere non potest, nisi confessio ex dolore procedat, & consequenter cum aliquo modo sequatur.

IX. Probabilius tamen est, non esse necessarium ut dolor antecedit confessionem.

Contraria tamen sententia est communis, & fundata in universali praxi fidelium; nil enim aliud plerumque curant vel pœnitentes vel Sacerdotes quam ut post absolutam peccatorum confessionem excitentur in iis qui confessi sunt dolor de peccatis, nec solent unquam solliciti esse Confessarii ut pœnitentes prius dolorem habeant quam confiteantur, sed post confessionem totam factam excitare ipsos solent ad dolorem, & absolvere, quantumvis peccata iterum non repetant, vel in particulari vel generatim, ut vult Coninck citatus, petendo scilicet absolutionem ab illis; hoc enim non est necessarium, nec in praxi apud confessarios, qui plerumque hoc à suis pœnitentibus non exigunt.

X. Confessio non est signum naturale doloris sed liberum.

Nec obstat ratio supra posita ex conceptu signi; primò enim cum confessio non sit signum naturale doloris, sed solum ex libera institutione, ipso facto quod jungatur dolor cum confessione, sufficienter significatur; homines enim dum peccata sua confitentur, de iisdem dolent, unde confessio satis ex hoc saltem usu dolorem indicat. Deinde ad hoc ut confessio significet dolorem, non requiritur ut semper denotet eum præcessisse aut adesse, sed vel hoc vel secutum; ut enim reddat eum sensibilem sufficit quivis ex his modis. Qua etiam ratione actus merè internus, qui secundum probabilem sententiam injungi potest pro pœnitentiâ & satisfactione, redditur sensibilis, vel per absolutionem, vel

impositionem externam Confessarii, satisfactionem illam imponentis, licet diu postea sequatur.

Non solum ergo reddit aliud sensibile id quod est effectus illius, sed etiam quod est causa, imò quod merè concomitanter se habet; si enim plerumque conjungatur, unum est sufficiens signum alterius: homines itaque cum ideo peccata confiteantur, ut hoc Sacramentum recipiant implicitè volunt dolere, si antea non doluerint: unde sicut externa corporis compositio est signum devotionis internæ, etsi non semper illa ab hæc causetur, ita in præsentia.

XI. Non est effectus tantum rei alterius, sed etiam causa, imò aliquando se habet concomitanter.

Et hoc etiam sufficit ut confessio sit dolorosa, nempe ut à dolore postea elicitio informetur, ut autem non sit mera narratio sufficit quod fiat Judici, & animo obtinendi ab eo absolutionem, non quidem per confessionem solam, sed per dolorem quem implicitè saltem intendit ponere, narratio autem quæ talis sit vel animi gratiâ, vel aliâ hujusmodi intentione merè humanâ.

XII. Si confessio sit dolorosa, sufficit delectam subjunctum.

Quæres quartò: Utrum de essentiâ hujus Sacramenti sit dolor supernaturalis, an verò naturalis sufficiat? Sotus in quarto, dist. decima-octavâ, quæst. tertiâ, articulo tertio, Navarrus & alii nonnulli dicunt sufficere attritionem, sed detestationem peccati merè naturalem, modò sit universalis & efficax: quibus à fortiore subscribitur Caietanus, Victoria, Cano, Ledesma, Sylvester & alii, qui quæcumque peccati displicentiam, etiam sine efficaci emendationis proposito ad valorem Sacramenti sufficere aiunt. Vasquez verò & alii nonnulli asserunt, requiri quidem actum doloris procedentis ex gratiâ per Christum, sufficere tamen licet in entitate sit naturalis.

XIII. Sitne de essentiâ hujus Sacramenti dolor supernaturalis.

Existimo in primis omnem attritionem, quæ in Sacramento vel pœnitentiæ vel Baptismi disponit ad effectum Sacramenti, debere esse ex gratiâ Dei; non merè ex viribus naturæ: ita Suarez hic, disp. tertiâ, sect. sextâ, & disp. vigesima-sect. quartâ, num. sexto, Coninck disp. primâ, dub. quarto, numero vigesimo-septimo, Tannerus & alii. Ratio est primò: nam Concilium Tridentinum dolorem ad effectum gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ obtinendum requisitum, vocat peculiari modo donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quæ autem peculiariter vocantur dona Dei, significantur procedere ex gratiâ, & consequenter non ex naturâ. Deinde Concilium Arauscanum secundum definit, non posse per naturæ vigorem aliquod opus fieri, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, sed hic dolor est opus ad salutem pertinens vitæ æternæ ergo. Præterea Concilium Tridentinum sessione sextâ, canone tertio sic habet: *Si quis dixerit sine præveniente spiritus sancti inspiratione, atque ejus adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Quâ in sessione indifferenter loquitur de justificatione adulti, tam intra quam extra Sacramentum.

XIV. Omnis dolor, qui disponit ad effectum hujus Sacramenti, est gratiâ Dei.

Quæ etiam, præsertim ultimum, probant debere dolorem hunc esse in entitate supernaturalem; quando enim Patres & Concilia ad actum aliquem requirunt gratiam simpliciter, & adiutorium Dei, seu gratiam adjuvantem, ille actus est in entitate supernaturalis. Deinde eandem gratiam requirit Concilium ad penitentiam, & ad Fidem, Spem & Dilectionem, ad quos actus requiritur vera gratia supernaturalis. Tandem Concilium

XV. Hæc etiam probant dolorem ad hujus Sacramenti constitutionem requirere esse in entitate supernaturali.

Concilium Tridentinum sessione decima-quarta, capite quarto ait attritionem in Sacramento disponere ad gratiam dispositio autem ad formam supernaturalem, debet esse ejusdem ordinis cum formâ, ad quam disponit; quo argumento probant Theologi Fidem, Spem, & Charitatem debere esse supernaturales: sed de hoc fufius dici solet in materiâ de gratia, vel in tractatu de Fide, Spe, & Charitate.

SECTIO QUINTA.

An ad Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe requiratur dolor supernaturalis.

I. *Quæritur: Virum in Sacramento Pœnitentiæ validum & informe non possit dolor esse in entitate naturalis.*

ULTERIUS dubitari potest, utrùm in nostrâ sententiâ asserente Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe, & consequenter dolorem, qui est pars Sacramenti, in eo casu non esse dispositionem ad gratiam; utrùm inquam, ille dolor non possit esse in entitate naturalis; hic enim cessant argumenta hætenus facta, quæ procedunt solum de dolore qui sit dispositio ad gratiam. Deinde in aliis Sacramentis non requiritur ut ulla pars illorum sit quid in entitate supernaturale, Baptismus etenim continet aquam naturalem, abluionem, & prolationem verborum, ubi nihil cernitur supernaturale. Tertio, quidni æquè poterit attritio naturalis hoc Sacramentum constituere, atque Confessio & absolutio naturales. Quarto, ad nihil aliud requiritur attritio, seu dolor quam ut fiat vera accusatio, hæc autem vera est, quamvis dolor sit in entitate naturalis.

II. *Hoc proinde multi docent, & infensæ Theologi.*

Hanc itaque sententiam tenet Henriquez libro primo de Pœnitentiâ, cap. secundo, & libro secundo, capite undecimo, numero primo, qui plurimos pro eâ citat, Valencia disp. septimâ, quæst. octavâ, puncto secundo, Bonacina disput. quinta, quæst. tertia, puncto secundo, numero nono, Sotus, Navarrus, & alii supra citati: & videtur expressa mens Sancti Thomæ quæstione octogesima-quarta, articulo septimo, Corpore: Sicut enim, inquit, in aliis Sacramentis materia est vel a naturâ ut aqua, vel ab arte, ut panis, quod autem ad Sacramentum hæc assumantur habent ex institutione Christi, ita materia Sacramenti Pœnitentiæ præexistit a naturâ; ex naturali enim ratione homo movetur ad penitendum de malis, quæ fecit, &c. hæc S. Thomas.

III. *Probabile est ad Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe non requiri dolorem in entitate supernaturalem.*

Existimo itaque hoc esse valdè probabile, & conformiter ad opinionem quam secuti sumus de hoc Sacramento valido & informi, sustineri posse, & magis fortasse consequenter. Sicut enim diximus ex institutione Christi juxta Concilia solum haberi, requiri per se loquendo talem dolorem tanquam partem hujus Sacramenti, qui simul sit dispositio ad gratiam, licet per accidens possit subinde contrarium accidere, ita etiam dici potest, per se loquendo solum requiri dolorem supernaturalem etsi naturalis sufficiat, ut dixit Sanctus Thomas; sicut materia aliorum Sacramentorum, ut aqua, oleum, &c. sunt res merè naturales.

IV. *Dicitur: Ergo licet dolor in*

naturalis in entitate; ergo & per dolorem merè

naturalem conferri posset gratia, nam in aliis Sacramentis id videmus; asperitio enim aquæ in Baptismo cum formâ verborum adæquatè causant gratiam ex opere operato, licet nihil ibi interveniat supernaturale; ergo idem præstabit dolor in Sacramento Pœnitentiæ conjunctus cum reliquis partibus Sacramenti.

Negatur tamen consequentia: Disparitas est, Concilia namque, & in particulari Tridentinum sessione sexta & decima-quarta, capite quarto, ait attritionem in Sacramento esse dispositionem ad gratiam & justificationem, dispositio autem ad formam supernaturalem debet esse supernaturalis, & ex gratiâ procedere, ut ostensum est. Imo etiam Baptismus in adultis, ubi requiritur dolor de peccatis, nunquam confert effectum sine dolore supernaturali. Sicut itaque Baptismus validus & informis requirit ulterius dolorem supernaturalem de peccatis ut reviviscat, & fortiatur effectum, ita licet Sacramentum Pœnitentiæ validum constituatur per dolorem naturalem, ulterius tamen ut fortiatur effectum requirit dolorem supernaturalem, qui sit dispositio ad gratiam. Unde juxta hanc sententiam probabiliter defendi posse videtur, etiamsi dolor sit universalis de omnibus peccatis, adhuc Sacramentum hoc, licet validum, fore informe.

Quòd verò dari possit in aliquo saltem casu actus doloris in entitate naturalis, præter Valentiam, Henriquez, Bonacinam, Sotum, & Navarrum citatos, tenet Vasquez primâ secundâ, disp. centesima nonagesima-quarta, cap. quarto, numero trigesimo-seculo, & trigesimo-tertio, Molina in concordia quæstione decima-quarta, articulo decimo-tertio, disputatione decima-quarta, membro quarto & quinto, & nonnulli ex Recentioribus: imo & Suarez etiam tomo quarto in tertia parte disputatione tertia, sect. septimâ, & libro primo de gratiâ, capite trigesimo-septimo, num. septimo & sequentibus, etsi ad valorem Sacramenti neget sufficere, & Coninck disput. prima de Pœnitentiâ, dubio quarto, numero vigesimo-octavo.

Et ratio esse potest primò, quia, ut bene Vasquez, Molina, & Suarez citati, videtur homini connaturalissimum dolere de peccatis, vel prout talem turpitudinem habent, & tantum malum inducunt, vel prout Deum auctorem naturæ offendunt; hoc enim motivum sufficit, ut ait Vasquez loco citato, nec alio modo radiiores dolent de peccatis quam quòd Deo displiceant, vel contra illius præcepta sint, hoc autem totum non est cur excedat actum naturalem. Nec obstat quòd hic actus sequatur actum Fidei, nam non omnis actus secutus ad actum Fidei est supernaturalis, ut ait Vasquez numero trigesimo-seculo; & videtur clarum in quibusdam actibus inefficacibus: deinde non omnis actus de objecto revelato est necessariò actus Fidei: licet de facto sequatur dolor ad actum Fidei supernaturalem, tamen non necessariò illum præsupponit, sed si per actum naturalem idem objectum proponeretur, posset excitari actus doloris, ut in hæretico videtur certum.

Ratio est secundò: nam Concilium Tridentinum sessione sextâ, dum definit non posse hominem sine gratiâ tum præveniente, tum adjuvante elicere hujusmodi actus prout oportet, seu ut justificationis gratia ei conferatur, insinuare videtur alios inferiores esse possibiles juxta naturam vires.

Sacramento Pœnitentiæ sit naturalis, Sacramentum nihilominus confert gratiam.

V. *Resp. Non posse conferre gratiam, ad hanc quippe requiritur dispositio supernaturalis.*

VI. *Dari posse actum doloris de peccatis, in entitate naturalis, plurimi & doctissimi Theologi agnoscunt.*

VII. *Ratione efficitur, dari posse dolorem naturalem de peccatis.*

VIII. *Insinuat etiam Conc. Trident. possibilem esse actum doloris naturalem.*

IX. Non apparet ex quo capta hic dolor sit supernaturalis.

Ratio est tertio: Hic namque actus doloris de omnibus peccatis si esset supra vires naturæ, vel id foret ratione sui, vel circumstantiarum, tentationum scilicet, ut motuum concupiscentiæ, oppugnationum dæmonum, &c. non primum, aut enim id contingeret ratione ipsius modi tendendi actus ac motivi, & hoc non, ut ostensum est probatione primâ, aut ratione propositi universalis vitandi omnia peccata, quod cum viribus naturæ factu sit impossibile, erit etiam impossibile desideratu. Sed imprimis non requiritur ejusmodi propositum, quo absolutè statuat nunquam amplius peccare, sed solum non peccare deinceps quantum potest; unde licet quis planè putet fore ut postea relabatur in peccatum, potest nihilominus habere propositum non peccandi sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut communiter docent Theologi. Deinde aliud est viribus naturæ statuere non amplius peccare, sed totam legem servare, aliud statuere non peccare amplius, & servare totam legem, viribus naturæ, hoc secundum sicut quis facere moraliter non potest, ita nec statuere facere, primum autem non excedit vires naturæ; statuit enim non amplius peccare, non per vires naturales præcisè, sed sperando fore ut divinum ei auxilium adsit, vel omnino præcindendo. Nec etiam obstat aliud; non enim semper urgent tentationes ita vehementes, ut quis ad breve saltem tempus statuere non possit Deum non offendere, imo & à gravi peccato abstinere: unde Molina citatus affirmat hoc non solum non difficile esse, sed facile.

X. Homines sæpè proponunt vitare omnia peccata præter unum.

Quartò: Nam ut notat Molina, sæpè homines ad confessionem accedunt cum proposito vitandi omnia peccata, uno aliquo excepto, ad quod ita afficiuntur, ut omnino relinquere illud nolint, quo in casu, inquit Molina, nemo dixerit propositum illud vitandi omnia peccata præter illud unum, procedere ex auxilio peculiari Dei. Cùm ergo voluntas abstinendi ab illo uno peccato non tantùm difficultatis addat, vel saltem non

adderet in homine qui erga illud non ita vehementer afficeretur, non est, si proponere naturaliter quis possit vitare omnia peccata hoc excepto, cur illud etiam simul cum cæteris nequeat in eodem proposito conjungere. Sed de hoc plura dixi Tomo præcedente, in materiâ de Gratiâ, ubi quaestionem illam discussi, an viribus naturæ quis mysteria Fidei cognoscere, Deum diligere, & alios actus excellentes elicere possit.

Si tamen defendere quis velit dolorem ad valorem Sacramenti necessarium debere esse supernaturalem, dicere poterit, cum Christus partem hujus Sacramenti instituit conversionem ad Deum, verisimile esse requirere ipsum ut dolor ille sit supernaturalis, cùm ordinetur ad reconciliationem cum Deo, & ad hominem ad finem supernaturalem perducendum per modum tendentiæ cujusdam internæ. Deinde, nihil obstat quominus Sacramentum validum conferat gratiam, nisi obex illius peccati, de quo non habet dolorem; ergo posito præcisè dolore sufficiente de illo peccato, Sacramentum revivifcet, & conferet gratiam; ergo prior dolor erat supernaturalis, nam non minus dolor de hoc peccato disponit ad gratiam, quàm dolor de aliis. Confirmatur: Si dolor de hoc ultimo peccato esset naturalis, non daretur gratia, ergo è contra, licet hic dolor esset supernaturalis, si dolor de aliis peccatis esset naturalis non daretur etiam gratia, cùm non minus ad gratiam requiratur retractatio supernaturalis unius peccati quàm alterius, sed positi præcisè retractatione hujus peccati, datur gratia, cùm obex tollatur, ergo.

XI. Dicere fortè quis possit, ideo hunc dolorem debere esse supernaturalem in Sacramento, quia institutus est à Christo ut converteret ad Deum.

Hoc quamvis probabiliter dici possit, contrarium tamen existimo esse multo probabilius, & rationem sufficientem, ut vel per illam solam defendi possit Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe. Imo arbitror hac viâ longè facilius illam sententiam sustineri posse, quam possit per eam, quam supra assignavimus.

XII. Probabilius nihilominus videtur dolorem naturalem sufficere ad constituendum hoc Sacramentum.

